

Aus d. Gründung. Ausdruck

Nr. 59.1.

DE
SALVTE EX ZIONE,
DIVINO ADVERSUS MALA GENERIS HUMANI
QVÆCVNQE REMEDIO,
Meditationes ad Psalmum LIII.

^{QVAS}
DISSERTATIONE INAVGVRALI
PRO LOCO
INTER PROFESSORES THEOLOGOS
RITE SECUNDVM STATVTA ACADEMICA
^{OBTINENDO}

**CHRISTOPH. FRIDERICVS
SARTORIVS,**

SS. THEOLOGIÆ PROFESSOR PVBL. ORDINARIUS,
ET DVCALIS STIPENDII THEOLOGICI
SVPERATTENDENS,

*ad d. XXVIII. Aprilis, MDCCCLV.
IN AULA THEOLOGORVM NOVA*

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBJICIEIT.

R E S P O N D E N T E
M. JOHANNE CHRISTOPH. LVDOV. MIEG,
SS. THEOL. CAND. IN ILL. STIP.

TVBINGÆ, TYPIS BAVHOFII AC FRANCKII.

СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА

БОГОСЛОВА ГЛАВНОГО ПРИЧАЩЕНИЯ

СЛУЖБЫ ПОСЛАНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛІВ ПАУЛА И ТИМОТЕЯ

СЛУЖБЫ ПОСЛАНИЯ



I. N. J.



cripturæ Sacrae præcipuum caput doctrina de Christo est. Ad eam omnia quæ tradit, sive facta sint memorabilia, sive doctrinæ, sive rerum futurarum prædictiones, refert, idque nunc clare ac diserte, nunc respectum illum tectius aliquanto & velut e longinquo indig-
tans. Qui igitur Theologiam docent aut discunt, eorum proprium est munus, hanc Scripturæ methodum sequi, & in scrutinio Libri Divini assiduo primo quidem Christum in aper-
tis & claris testimoniis quærere, ad proficiendum in ejus agnitione; tum vero etiam in iis, quæ remotiora paullo videntur,
nexum, quem habent cum Christo ac regno illius perpetuum,
& necessarium, & multiplici usu fœcundum, curate inve-
stigare.

Atque hoc ipsum me movit, ut, cum ad docendam in Alma hac Studiorum Universitate Theologiam, præter expe-
stationem quidem, sed omnino Nutu Divino, vocatus essem,

A 2

argu-



argumentum Dissertationis Inauguralis deligendum mihi esse existimarem, in quo Specimen eorum, quæ modo dicta sunt, Clar. Dn. Studiosis posset proponi. Suscipiemus ergo brevem Psalmi tertii & quinquagesimi tractationem, rogantes DEUM in nomine Jesu Christi, velit Primitiis hisce nostris benevolum se ac faventem præbere, ut in Sanctissimi Nomini Divini honorem omnia vergant.

SECTIO PRIMA, PHILOLOGICO - EXEGETICA.

§. I.

Inscriptioni Psalmi LIII. quam versus 1. habet, non immorabitur. *Michalath* instrumentum potius musicum nobis videtur fuisse, quam Cantici alicujus initium. Vox לִזְמֹעַת generatim erudiantem, atque adeo hic didacticum carmen significat, per quod lector fiat φρόνιμος, εὐερδος, intellectu utens. Admonitio est, hic ea doceri, quæ cum primis pertinent ad prudentiam justorum. *Davidis* nomen adscriptum de auctore Psalmi nos dubitare non sinit.

§. II.

Quoniam ista commentandi occasio Davidi fuerit, qui verba Psalmi attente legerit, facile sentiet. Deprehensa multorum in regno suo improbitate, & cognito, quam vafre saluberrima instituta nunc astu eluderent, nunc perrumperent violentia, & quantum inde res publica Israelitarum caperet detrimenti, non potuit Rex Sanctus justitiae amans non commoveri. In illa acerrima cogitatione de perversitate ingenii humani, vidit collustratus Divino lumine, indignandum utique

* * *

utique esse improbitati malorum, eosque in mala gravissima
incursuros: ceterum si DEI super homines judicio standum
sit, neminem unum excipi posse ab severitate censuræ Divinæ.
Itaque Divino Spiritus Sancti adflatu actus gravissima profert
effata de universali generis humani corruptione, sed una quo-
que de Divino adversus hæc mala remedio, quod in Christo
Domino sit paratum hominibus. Hæc *Summa* egregii ac plane
Divini carminis est.

§. III.

Ordinem autem in multitudine veritatum insignium, quæ
hic cumulantur, hunc videor cernere. Corruptionem *primo*
generis humani vates describit; *deinde*, ad erigendos fideles,
remedium divinitus illi oppositum, Salutem ex Zione prodi-
turam, ostendit.

1. Corruptionis indicantur 1. prima initia,
 - a) quoad ipsam indolem internam, *Stultitiam animi*;
 - b) quoad actus internos *ex illa* orientes; *dicere in corde, non est Deus*.
2. Progressus, in actionibus & vita; exserens se
 - a) in pravitate in vitam totam illata; *corruperunt*.
 - b) in abominanda malitia,
 - c) in officiorum intermissione; *non est qui faciat bonum*; quæ omnia nervose comprehenduntur versu 2.
3. Effectus & consequentia, quæ sunt
 - a) apud DEUM, animadversio ac displicantia. v. 3. 4.
 - b) apud peccatorem, conscientiæ neglegens, securitas, v. 5.
 - c) apud alios, oppressio injusta, in primis honorum v. 5.
 - d) generatim, vita irreligiosa, sine DEO transacta. v. 5.

A 3

4. Even-



4. Eventus & exitus longe tristissimus.

- a) Pavor, animi angor. v. 6.
- b) supplicium de malis sumtum. v. 6.
- c) Ignominia, contemtui improbitatem exponens. v. 6.
- d) Reiectio malorum totalis. v. 6.

II. Medelæ autem in Christo paratæ *tum* origo, *tum* indoles, *tum* effectus & consequentia, *tum* modus ejus obtinendæ ac fruendæ, versu 7. ostenduntur.

Atque ista nunc erunt sigillatim a nobis consideranda.

§. IV.

INDOLES interna omnis hominum corruptelæ in *stultitia* ponitur versu 2. Vocem נָבָל mente *lapsum*, *stultum*, *flagitiosum* significare, omnes consentiunt. Sed quoniam radix hujus vocis, נָבָל, proprio significat, emarcescere, flaccescere, ex marcore decidere, ut folia solent plantarum, atque adeo porro, latiore significatu, extinctionem & corruptionem eujuscunque rei viventis; utique in ejus expositione ad hanc notionem erit cumprimis attendendum. Unde Coccojo (a) נָבָל est homo mente & animo corruptus, spiritualiter mortuus, vitam veram in se non habens.

§. V.

Erit igitur נָבָל *Stultus*, ille, qui, cum vitam veram ex intima unione cum DEO habere deberet, a DEO abalienatus atque aversus, non modo omnem Spiritualis vitæ vigorem, sed plane vitam ipsam ex DEO amisit, alienatus a vita Divina Eph. IV, 18. Cum autem aliquid naturalis activitatis nihilominus in tali homine superstet; quoniam ea destituta est beato illo

(a) in Lexico, hac voce.

* * *

illo moderamine ac regimine vitæ Spiritualis, fieri non potest,
quoniam homo in aliam ex alia aberrationem incidat. Magis ergo
magisque corrumpitur, & perverse ac stolidè cogitat, loqui-
tur, agit. Hinc itaque prima corruptionis omnis initia sunt
repetenda. (b)

§. VI.

ACTVS interni ex illa stultitia orientes ponuntur in per-
versis cogitationibus de DEO, quas hæc Psalmi verba indi-
cant: *Dicit stultus in corde suo, non est DEUS. Cor in Sacris*
ipse animus est. Nam Scriptura cordi talia attribuit, quæ non
nisi in animum ipsum convenient, intelligentiam, voluntatem,
cogitationes. Porro dicere in corde suo est judicare, opinari,
statuere, deliberare, decernere apud animum suum. (c)
Varia existimem innui hac phrasí; prout admirabilis est Scri-
pturæ Sacrae in ipsa elocutione circumspectio atque proprie-
tas. Indicatur 1. *principium*, ex quo omnes malæ de DEO
cogitationes oriantur, esse intimam pravitatem animi à DEO
abalienati; quod ipsum Servator diserte docuit Marc. VII, 21.
Interne, ex hominum corde, prodeunt pravae cogitationes, . . .
dementia. Quoniam porro multi, quæ apud se prave cogi-
*tant, premunt atque dissimulant, 2. simul notatur eorum *hy-**

pocrisis, qui intus quidem apud se cogitationes hujusmodi

volentes

(b) Confirmat hoc ipsum quod est apud Jesajam c. 32, 6. *Stultus, inquit,*
stultitiam loquetur, & cor ejus machinabitur iniquitatem: exercendo
hypocrisim, & loquendo de Iehova errorem, evanundo animam fame-
liam, & potum siticulosi deficere faciet (vel subtrahet). Multiplex hic
indicatur corruptela, & ex una illa origine, stultitia mentis interna,
deriyatur.

(c) COCCEJUS in Lexico, voce יָמָן



volentes & cum prolabio fovent ; ceterum suam tamen impietatem extrinsecus simulatio religionis studio tegunt. Sive autem taciti ista cogitent, sive, quod multi faciunt, ore proferant impie de DEO cogitata, notatur apud utrosque 3. præcipue *habitus* hujus perversitatis intime radicatus. Non sunt cogitationes aliunde excitatae, animum subito transvolantes : sed in ipso corde nascuntur, & in intimis, ubi natæ sunt, hærent, invalescent, foventur.

§. VII

Et consentit experientia. Statuunt quidem nonnulli, esse apud quosdam homines *ignorationem* potius DEI, quam infestationem ; neque repugno : talem tamen *meret ignorantie statum* nec valde frequentem, nec diuturnum esse existimaverim. Multo plures sunt, quibus tribuenda est DEI *oblivio*, Psal. L, 22. Sed proprie hoc pertinent *dubitaciones* de DEO ex tenebrisculo animi habitu natæ ; quibus vbi non obviam itur investigatione seria veritatis & vsu fideli subsidiorum eodem ducentium, facile in apertam evalescent *negationem* & contradictionem. Ac tum quidem, cum eo usque peruentum est, non obscure, quomodo tales animati sint, potest animadvertisc. Optant ut nullus sit DEVS, nullus inspecto & judex ; atque adeo cupiunt vera esse, quæ adversus veritatem divinam animo agitant. Ipsam quidem veritatem odio habent. Rom. VIII, 7. Hinc dubiis contra veritatem omnem attentionem, nullam contra aut certe exiguum adhibent argumentis, quibus veritas confirmatur. *Volentes ignorant*, ut est apud Petrum, 2. Ep. c. III, 5. Nihil de eo dicam, quam sibi profani homines placeant, quando impietate sua supra vulgus credulum sapere atque eminere sibi videntur. Amat ergo homo corruptus sua de rebus

rebus divinis deliria, eaque defendit, ac mordicus tenet. Et hoc existimem phrasin hanc simul connotare; ita ut *in corde suo dicere*, sit intra animum apud se *deliberate statuere*, & firmiter *inhabere semel decretis*.

§. VIII.

Confirmat hanc observationem, quod nusquam in Sacra Scriptura homines pii dicuntur *in corde suo* talia de DEO agitare. Sane fidelibus quoque, nec raro, falsa atque inepta in mentem veniunt cogitata de DEO (d): sed haec quidem cogitationes sunt aliunde potius in mentem injectae, in primis in tumultu tentationum gravium, quam ex proprio fundo natæ; sunt transitoriae; aut si pertinacius durant, id cum summa piorum displicentia fit; certe non est apud fideles habitus aut consuetudo talia cogitandi de DEO; multo minus haec sunt apud eos agendi principia, quibus vita ipsorum regatur, ut apud malos. Ideo talia cogitare quidem, sed non *in corde suo* dicuntur. Ex quo simul Divini de animorum statu judicii veritas, & justitia potest agnosciri.

§. IX.

Sed redeo ad Psalmum nostrum. Eorum, quæ prave cogitantur de DEO, haec summa est: *Non est DEVIS.* Id non tantum pertinet ad existentiam DEI negatam; includuntur enim simul omnia alia perversa ac falsa hominum cogitata de B justitia,

(d) e. g. *Esa. 40, 27.* cur dicit, . . . nullam habere tui rationem DEVIM.
Psal. 31, 25. dixi in tropidatione mea, me ab oculorum tuorum confer-
tu esse rejectum. Add. *Jobi. c. 3.* *Psal. 73, 13, 14, 17, 9, 10.*



justitia, bonitate, sapientia DEI, de veritate promissionum & comminationum Ejus, de Providentia, & Regimine DEI in mundo atque Ecclesia, nec non in dispensandis singulorum hominum fatis, de futura post hanc vitam remuneratione, & multis aliis. Talia leguntur Deut. VIII, 17. Psal. X, 4. 5. 11. 13. XCIV, 7. Thren. III, 36. 38. Zephan. I, 12. Malach. II, 17. III, 13. 14. Matth. XXIV, 48. 1 Thess. V, 3. 2 Pet. III, 4. 5. Sap. II, 1. sqq.

§. X.

Vidimus prima omnium in genere humano malorum initia. Quoniam autem quæ intra hominem sunt, foras prodi-re, & per omnem vitam serpere solent, jam porro *Progres-sum* mali Psalmus noster exponit. Exserit se primo in pravitate vitaे totius, quæ per vocem ἡτοπειαν corruerunt, indicatur. Hoc verbum, quoniam absolute, atque adeo intransitive pos- situm est, significationem radicis intendit (e). Atque adeo corruptionem indicat non simplicem, sed 1. magnam, longe progressam; 2. habitualem omnino; ac 3. patentem latissime, ut quascunque dotes in hominem natura, educatio, institu-tio, atque etiam ipsa Gratia DEI contulit, eæ aut pereant sine fructu, aut degenerent & noxiæ ac perniciose evadant; utrumque enim verbum ἡτοπεια denotat.

§. XI.

Alterum in ista corruptione foras prodeunte est *abomi-nanda malitia*, de qua hæc sunt verba Psalmi: *abominabilem effecerunt iniquitatem*. Simpliciter quidem exponi hæc possunt: des-

(e) DANZIUS interpret. ebr. chald. §. 87.

✿ ✿ ✿

designare homines facinora abominanda ; qualia diserte in Scriptura dicuntur mendacium Psal. CXIX, 163. cædes injusta & fraudes ac fallaciae Psal. V, 7. idolatria Ezech. XVI, 2. 22. 36. sed tamen plus intelligi voluit Psaltes his verbis : nempe multos non satis habere inique facere , sed hoc ipsum ab illis fieri *cum ingenti malitia* ; velut cum palam , & cum petulantia , protervia , gloriacione , ferocia , insultatione peccatur : id quod non potest a DEO ac bonis non ferri quam mortuissime & plane execrabilis haberi.

§. XII.

Tertia de corruptione , prout palam se exserit , querela hæc est : *Non est , qui faciat bonum.* Bonum est , quicquid DEO probatur , & homini ipsi ac societati humanae vere utile ac salutare est . *Facere bonum* est studere iis , quæ DEO probantur atque hominibus prosunt , idque ex animo & veris motivis , sine hypocrisi , citra fines illegitimos , & cum constantia , vt totius vitae actus in eo consentiens sibi semper constet . Verba igitur hæc , *non est qui faciat bonum* , accusant homines intermissionis officiorum , quæ DEO , aliis & sibi ipsis debent ; atque omnes in universum hujus negligenter peragunt reos : qui quidem extremus est gradus perditionis .

§. XIII.

Ita namque comparata est hominum vita : vbi integras societas , parvas , magnas , talis labes ita pervasit , vt nihil sani supersit , ac nemo amplius officium DEO ac Societati debitum faciat , multo , quam ante , difficilior mali medela est .



Vbi ne quidem precibus ad DEVUM, displicantia significatione apud homines, exemplo meliore, testimonio veritatis, factaque ad cavendum juribus regni Divini quadam veluti protestatione, quisquam amplius malo sese opponit, ibi impune damno immedicabili grassatur. Conferri huc potest, quod Servator de Sale dicit, cum insulsum est factum, Matth. V, 13. Add. Gen. XVIII. Ezech. XXII, 30. Esa. LXIV, 7.

§. XIV.

Quid ex corruptione tam magna consequatur, jam porro Psalmus noster versu 3. & 4. indicat. Apud DEUM gravis est animadversio ac displicantia. De animadversione versus 3. agit, in quo DEUS describitur tanquam prospectans e sublimi de celo, tanquam diligenter contemplans universum genus humanum, tanquam quarens oculis, num quos deprehendat intelligentes & religionis verae studiosos. Sic enim phrasin, querere DEUM, accipio, ut applicationem animi, judicii ac studii denotet ad universa erga DEUM officia, quorum observatione in beatam pervenitur cum DEO, Summo Bono, communionem. Quæ officia enumerare hoc loco, longum foret.

§. XV.

Ipsa formula, de DEO e cœlo prospiciente in Sacris non infrequens est. Vid. Exod. III, 7. Deut. XXVI, 7. 15. Psal. XI, 4. XXXIII, 13. LXXX, 15. CII, 20. Esa. LXIII, 15. Cœlum alias scriptura describit ut habitaculum DEI sanctum, gloriosum, Divinæ Majestatis & Gloriæ manifestatione illustre. 1 Reg. VIII, 39. Esa. XVIII, 4. Ezech. III, 12. Matth. XXIII, 22. Υπών est prospicere,

&

✿ ✿ ✿

& quidem de loco sublimi, ubi obtutui omnia facile patent, & capite exerto, ad captandam rerum visionem. Pulcherrime DEI omniscientia repräsentatur, per similitudinem a modo cognoscendi humano desumptam. Quæ ἀνθρώποι θεῖα ut θεοτρέπος, modo DEO digno, a nobis accipiatur, tenendum est, indicari per eam 1. DEUM facillime omnia hominum cognoscere; & 2. ea accurate ac plene perspicere, observare, notare. 3. respici simul ad singulares illos eventus, quibus DEUS se manifestat ac velut ostendit de cœlo, & sentiendum præbet hominibus, observari ab se facta ipsorum, & in ea suo tempore iri animadversum. Exempla vid. Gen. XI, 5. Matth. XXVI, 64. Est hoc igitur testimonium insigne inspectionis Divinæ super homines, etiam malos.

S. XVI.

Displicentiam ipsam indicat versus 4, quo DEI judicium de hominibus continetur. Primo dicitur: *Omnes recesserunt.* וְלֹא per vav suffixum manifeste refertur ad præcedentia verba וְלֹא כִּי, atque adeo *universitatem* indicat totius generis humani. Ad כִּי relatum debebat suffixum habere plurale: sed elegantem hæc numeri permutatio emphasin habet, nomine ipso וְ homines universos, suffixo autem singulari adjuncto singulos distributive, notante. וְ recessit, observante GUSTATIO (f) quando metaphorice accipi debet, est mutari animo erga aliquem, ususque in malam partem abiit. Et quoniam cum Synonymis וְ & סֵבֶר conjungitur Ps. LXXVIII, 57. XIV, 3. non tam recessum a via, quam potius discessionem ab officio videtur significare: velut cum servus infidelis ac fu-

B 3

giti-

(f) in *Lexico Lingue Hebraicae*, hac voce.



gitivus ab hero se avertit, aut miles ducum imperio parere detrectat, ordines relinquens, arma abjiciens.

§. XVII.

Porro dicitur in hoc versu: *Una facti sunt inutiles.* ἡ τοι γένειον vocabulum rarius est, unde & significatus obscurior. Reddere solent plerique: putidi & exscrabilis facti sunt. Existimant nempe, aliquanto plus hac voce debere significari, quam quod erat versu 2. jam dictum, ne videatur esse tautologia. Sed movet me auctoritas Pauli, versionem LXX. viralem, ἡ οὐκ εἰσίθησαν, retinentis Rom. III, 12. ut in interpretatione, *inutiles facti sunt*, plane acquiescam. Neque ideo non surgere orationem existimo. Facit enim vox οὐτινη addita, ut plus omnino hic, quam versu 2. dicatur. Per illam enim communio peccati, societas in peccando, & participatio peccatorum alienorum indicatur, qua sit, ut non modo singuli se ippos ad præstanta pietatis & iustitiae officia reddant inutiles, sed multi simul, altero alterum a bono avertente, avocante, & ad peccata ducente, trahente, impellente, præcipites ruant. Esa. V, 18.

§. XVIII.

Tandem hanc quoque censuram Divinum de hominibus judicium continet: *non esse ullum, qui faciat bonum;* quod versu 2. jam dictum erat. Additur: *ne unum quidem talem* reperiri. Id hyperbolice dici, quidam primarii Interpretes annotarunt; quibus alii contradicunt, quoniam ex allegatione Pauli Apostoli Rom. III, 12. satis pateat, nihil hic exaggerari præter rei veritatem. Omnino veracitati verbi Divini caven-
dum

dum est; modo ne id sic accipiatur, ut propterea nullam omnino hyperbolam in sacris locum habere posse existimamus. Potest enim haec troporum affectio sic explicari, ut nihil inde sacris Litteris timendum sit; quod dexterrime præstítit GLAS-SIUS, *Rhetic. Sacr. tract. I. c. 19.* Nobis ita videtur: Crescere hoc versu existimamus iudicij de corruptione hominum universali severitatem. Nempe secundo versu de corruptione hac judicatur more humano, prout ab hominibus, etiam illuminatis, fieri possit, qui, cum nullos, qui recte agant, conspicunt aut norunt, bonis nempe ob suam paucitatem in reliqua turba latentibus, censuram suam universaliter, quasi omnes feriat, proferunt, uti Elias 1 Reg. XIX, 10; parati interim eam restringere & mitigare, sicuti reperiantur, qui excipi possint. At DEUS multo prospicit longius, & in illis etiam, quos homines pii fortassis non usquequaque malos pronuntiarent, invenit quod sanctitati suæ displiceat, quodque adeo debeat reprehendi. 1 Sam, XVI, 7. Hiob IV, 18. XV, 15.

S. XIX.

Hactenus de omnibus in universum hominibus sermo fuit regio vati: nunc vero, quia porro tales effectus corruptionis commemorantur, qui non cadunt in fideles & regenitos, oratio deflectit ad malos & impios speciatim, eosque a bonis, qui mox populus DEI vocantur, aperte discernit. Prima versus quinti verba: *anon sciunt malefici?* securitatem arguant impiorum. Appellatio maleficorum etiam a Christo Domino usurpata est Matth. VII, 23. Per hanc intelligo, præente COCEJO, vanitatem, hoc est, notione morali, falsum bonum
quod-



quocunque. Unde facile derivatur altera significatio *iniquitatis, sceleris*; *tertia item molestia & lustus*, ex spe nimirum per falsum bonum frustrata. Non multum diversa est FORSTERI interpretatio, qui nomen hoc de *concupiscentia vitio nativo corrupta* & ad *creaturas conversa* proprie usurpari existimat, allegante GUSSETIC in hac voce.

§. XX.

Jam ἡγε non est agere simpliciter, sed agere cum decreto, consilio, molimine; neque est executio actionis externa (quæ verbo ἡγε exprimitur proprie, vid. Mich. II, 1.) sed facinoris ea pars, quæ in deliberatione consistit. (g) Erunt igitur οἱ οἱ, qui vanitati animo suo toti sunt dediti, eamque, ut cupiditates suas expleant, omni studio querunt, consequantur & tractant, multum adeo, & s̄pē, ac diu in ea occupati.

§. XXI.

Huic vanitati immersos mirum non est negligere ea, quæ cum maxime debebant curare. Vnde censura divina: *anno cognoscunt?* Quid agnoscere debeant, non dicitur: sed nec opus erat. Est enim manifestus ad antecedentia respectus; hoc est, ad stultitiam, ad impias cogitationes de DEO, ad vitæ pravitatem, ad facinora abominanda, & ad DEI, ista cuncta videntis ac notantis, judicium. Hæc omnia qui agnoscunt, ii de se, de actionibus suis, ac toto animi statu coram DEO judicium ferunt, id quod proprium est *Conscientiae munus*.

(g) COCCEJVS, GVSSETIVS h. voce.

munus. Accusantur ergo malefici neglegti conscientiae dictaminis & securitatis. Vbi figura adhibita interrogationis negantis (*annon?*) vim habet affirmationis, & quidem cum vehementia; ex qua, si attendamus, varia intelligere licet.
 1. ipsorum officium; debebant agnoscere. 2. facilitatem hujus officii; poterant id, si modo velleant. 3. Convictionem; quantumcunque negligant, supprimant, apud alios dissimilant conscientiae vocem, facere tamen non possunt, ut id non sciant. Utique norunt. Rom. II, 15. 4. Displicentiam DEI, neglectum Conscientiae studium quam maxime improbantis.
 5. Longanimitatem ipsius, qua malos in securitate sua tolerat, & ut ad se redeant, ineffabili patientia exspectat. Sensus ergo est: Annon malefici, qui haec omnia 1. debebant agnoscere, & 2. facile poterant; Immo 3. sepe admoniti haec omnia probe norunt; & tamen 4. turpissime adhuc id negligunt; annon 5. vel tandem ad sanam mentem redibunt?

S. XXII.

Sequitur pravitatis humanæ effectus apud alios homines, oppressio injusta, in primis honorum: *Comedentes populum meum, comedunt panem.* Priora verba nihil habent difficultatis. *Populus DEF* sunt, quotquot salutem ex Zione, hoc est, Servatorem Messiam sincera amplexi fiducia, *DEVM* sibi conciliatum habent, & in libertatem ab ista corruptione vindicati, vitam beneficio hoc spirituali dignam degunt. *Comedere populum DEI* notat partim injustam exercere violentiam in fideles ac bonos, partim eos per malas artes circumvenire sub justitiae specie, idque ad explendam famam pravae cupitatis.

C

ditatis,



ditatis ; vt avaritiae, ambitionis, invidiae, vindictae, & quæ alia sunt, quibus improbi mancipiorum instar serviantur. Conf. Psal. XXVII, 2. Prov. XXX, 14. Mich. III, 2. 3. Matth. XXIII, 14.

§. XXIII.

Alterum incisum, quod additur, comedunt panem, varie explicatur. Veniebat in mentem, anno ex Jerem. XXII, 13 - - 17. illustrari possit? vt sensus sit: Comedentes sunt populum meum, cum ipsi tamen comedant panem, hoc est, satis aliunde habeant, unde vitam sustentent, vt nulla sit per injustas extorsiones egestatem sublevandi necessitas, si modo cupiditas absit. Sed conjecturæ huic multum antefero explicacionem B. JO. HENRICI MICHAELIS (*b*) adprobatam etiam in Bibliis Tübingeribus, quæ hæc est: Vorantes populum meum secure comedunt panem & cibum capiunt, immo commissantur ex bonis oppressorum. Matth. XXIII, 14.

§. XXIV.

Vltimum in hoc versu quinto incisum est: *DEVM non invocant*. Invocare DEVM proprio significat precum officium. Existimem tamen phrasin hic latius accipi debere de toto cultu religioso, ita vt hic notetur actuum omnium ad cultum Divinum pertinentium intermissio. Cohærent certe omnes illi actus religiosi arctissime, vt qui unum ex officiis religioni essentialibus negligit volens, & ex principio dominantis internæ animi pravitatis, is nullum præstare idoneus sit. Sermo est autem non de solo actu invocationis externo, sed de cultu

DEI

(*b*) Annotat. uberior. ad Psal. XIV, 4

DEI vero, integro, in quo præcipuae partes sunt animi actus: suos internos dirigentis ad DEVVM. Itaque formula hac, *DEVVM non invocant*, describitur vita impiorum, prout sine DEO, sine timore atque amore DEI, nullo DEI desiderio, procul omni cum DEO communione, & cultu religioso aut nullo, aut hypocritico tantum, misere sine fructu transigitur.

§. XXV.

Superest consideratio EVENTVS & exitus, quem talis vita fortitur tristissimum, ut est versu 6. *Ibi pavent pavore, non est pavor.* Facile apparet, hæc verba significare angores, & conscientiæ sepius læsa morsus. □¶ *Ibi* referto ad proxime antecedentia. *Ibi*, vbi sic vivitur, vti versu 5. dictum est; vbi conscientiæ monita non audiuntur; vbi boni, qui sunt DEI peculium, expilantur & opprimuntur injuste; vbi officia pie-tatis in DEVVM vilipenduntur, aut hypocritice tantum præstantur, aut aperte ridentur: *Ibi* abesse non potest, quin pavor & angores animi existant, & impietatem malorum ulci-scantur. Rom. II, 9. דְּבָרֶת־מִשְׁנֶת־פָּנֵי pavent pavore, hoc est, pavent valde, corripiuntur ingenti metu. Sic enim solet nomen conjugatum, quando proxime cum suo verbo construitur, verbi significationem intendere. (i) Hæc facilia sunt,

§. XXVI.

Sed quid sibi vult, quod additur: pavent, nec tamen est pavor. Triplicem hæc verba sensum habere possunt. 1. Pa-vent, nec est causa timendi; expavescunt nullo terrénte. Hoc

C 2

sæpe

(i) Vid. GLASSIVS Gramm. Sacr. L. 3, tract. 3, Can. 32. DANZIVS interprete ebraeo-chald. §. 35.



sæpe occurrit in Sacris. Vid. Levit. XXVI, 36. Job. XV, 21. Prov. XXVIII, 10. Conf. Matth. II, 3. 2. Alter sensus est: *pavent*, ingruente scilicet aliquo periculo vel ira Divina, nec tam en affectus ille, quo percussantur, est veri nominis *pavor*. Admisso hoc sensu nomen ΤΠΩ in bonam partem, de timore DEI accipitur, vti Psal. XXXVI, 2. Timor DEI verus peccatores coram DEO humiliat, ac DEO honorem tribuit; idque sponte, sincere, constanter. At impiorum timor coactus est, servilis, hypocriticus, manente intrinsecus amore peccati. Vnde cessante periculo iterum evanescit, nec ullum in animo fructum emendationis relinquit. Exod. IX, 27. sq. Psal. LXXXVIII, 36. sq. Jer. XXXIV, 11. Indignus est ergo iste animi motus, qui tam nobili nomine timoris, affectus vere sancti, censetur. 3. Tertius sensus hic est: *pavent*; sed jam non amplius est locus *pavori*; nihil amplius pavore etiam summi gradus proficitur. Et omnino hoc illis contingit, qui prætermisso tempore gratia, quando jam supplicium Divina Justitia sumit de malis, timore & ejulatu, sed sero nimis, placare DEUM, aut certe effugere iram sibi jam incumbentem volunt. Psal. L, 22. Prov. I, 25. sq. Apoc. I, 7. VI, 15. sq. Fateor medium sensum mihi reliquis præfendum videri. Est in eo elegans figura Epanorthoseos, qualis occurrit etiam Gal. I, 6. 7.

§. XXVII.

Pavorem hunc sequitur ipsum supplicium: *quoniam DEUS dispergit ossa castra metantis contra te*. In suffixo vocis ΤΠΩ (quod masculinum est, uti Esa. XXX, 19. Jer. XXIII, 37.) per apostrophen sermo ad populum DEI convertitur. Oppresso-

❖ ❖ ❖

pressores populi DEI nunc tanquam *castra ponentes* repræsentantur, ad indicandum hostilem ipsorum animum, cui sola vexatione & oppressione bonorum non satisfit, sed odio ducti internecino exterminare omnino eos conantur, eoque omnes suas opes conferunt, nempe ut nihil porro, quod malitia ipsorum obstat queat, supersit. Atque hæc metaphora, a re bellica petita, continuatur etiam in describendo persecutorum populi DEI supplicio. Illorum *offa dispergi* proprie dicuntur, qui non simplici cæde intereunt, sed, quod atrocus est, obtruncantur, mutilantur, conciduntur membratim, infepulti jacent, a feris laniantur. Notatur ergo hac formula vindictæ Divinæ severitas, quæ malos non prosternit, non exarmat, non captivos abducit, sed plane viribus & vita privat, idque eo modo, qui terrorem incutiat omnibus. Conf. Psal. LXXXIX, 11.

§. XXVIII.

Tertium in eventu contemtus est, cui improbitas exponna dicitur. Vocem *Pudefacis* si velimus referre ad DEUM, vel ad Messiam, aliquid coacti erit in hac interpretatione. Malim ergo, simpliciter continuata apostrophe, ad eundem populum DEI referre. Pudefacis eos, o popule DEI. Primario quidem utique DEUS est, qui cum pudore & ignomina dejicit malos: non tamen sunt nullæ bonorum partes in tali eventu; tantoque acerbius illis accidit, quando bonos, quos tam viles ante habuerant, non modo stare ac superesse, sed etiam latari vident ipsorum suppliciis, cuius generis exemplis Scriptura Sacra abundat. Vid. Psal. XXXV, 26. 27. LI, 6. 7. 8. LVIII, 7-12. LXIV, 8-11. Esa. XXXVII, 22.

C 3

§. XXIX.



§. XXIX.

Ultimum, quod pravitatem hominum manet, *rejectionem malorum omnimoda est*. *¶* est reprobare; eaque notio tria comprehendit 1. neglectionem cum contemtu, tanquam rei inutilis, ac vilis. 2. rejectionem cum fastidio, tanquam rei indignæ, invisæ, exosæ. 3. decretum irrevocabile, tanquam de re, de qua nulla spes amplius sit. Providentia Divina etiam maleficorum tempore longanimitatis DEI rationem habet, parcendo, tolerando, beneficiendo: sed tandem ab omni accessu ad DEUM exclusi ex ejus cura dimittuntur, nullam amplius in bonitate Divina partem habituri; ac tum nil nisi severitatem Divinam experiuntur, idque sententia irrevocabili. Conf. Jer. VII, 29. Rem ipsam declarant impiorum novissima, Matth. VII, 23. XXV, 41. Apoc. XIV, 10.

§. XXX.

Longam malorum descriptionem denique excipit REMEDII adversus omnia ista mala divinitus constituti commemoratio versu 7. *Quis dabit ex Zione salutes Israelis: reducente DEO captivitatem populi sui exultabit Jacobus, letabitur Israel.* Significatur his verbis: Præsto esse salutem, quæ medelam adferat malis adhuc enumeratis; eam salutem perfectam, plenam esse; non tamen esse in hominum potestate, sed votis ac precibus efflagitari & obtineri debere à DEO; adeoque salutis hujus auctorem alium, nisi DEUM, non esse, nec esse posse; eam salutem in Zione, in medio populi Israëlitici, in ipsa sede regni atque religionis, primum conspicuum fore; sed ex Zione prodituram longius, atque adeo ad alios quo-
que

❀ ❀ ❀

que perventuram; Israeli quidem primo destinatam esse, re-
liqua interim generis humani parte non exclusa; participes
hujus salutis factos liberatum iri omnibus, quæ ipsos premant,
malis, quæ mala sub emblemate captivitatis duræ ac miseræ
repræsentantur, a DEO demum solvenda, quod nulla ex iis
emergendi spes aut facultas alia sit; hac salute obtingente ho-
minibus veram demum & sinceram, sine timore, lætitiam apud
bonos quounque futuram. Quæ omnia quam apte in Mef-
fiam convenient, & quam insigne hic habeatur testimonium
de Christo Domino, Sospitatore generis humani, id sequenti
sectione dogmatica erit uberior demonstrandum.

§. XXXI.

Unicam hic addimus quæstionem: Qui fiat, ut pene ad
verbum hoc Psalmo repeatantur, quæ jam habentur Psalmo
decimo quarto. Instituti mei, ac fortasse etiam facultatis meæ
non est, varias Virorum Doctorum sententias enumerare;
dicam tantum paucis, & modeste, quid sentiam. Evidem
non dubito, repetitionem hanc non fortuitam esse, sed deli-
beratam omnino; & caussam ejus in temporum, quibus Da-
vides vixit, ratione esse quærendam. Invalescens impietas,
& si quando repressa fuit, subinde repullulascens, vigilantem
pro salute publica regis optimi curam ita potuit sollicitare, ut
consultum instinctu Spiritus Sancti duceret, idem carmen se-
riei Odarum, quas publice cantandas Levitis tradebat, bis in-
serere, quo frequentius vertente anno publica hæc censura
improbhitatis recurreret, & quo testatior esset spes fidelium,
salutem & liberationem a Mefgia perficiendam exspectantium.
Apud hos tanto magis acuebatur desiderium hujus salutis,

iterata



iterata commemoratione communis miseriae humanæ: & malitiam frequenter admoniti Divinæ in ipsorum vitam inspectio-
nis & futuri aliquando judicii, si non revocati ad frugem,
redditi certe sunt ἀνατολόγιοι, inexcusabiles. Est hæc, fa-
tor, conjectura: sed innoxia, & ab exegetico Scepticismo
prorsus aliena.

§. XXXII.

Constitueram initio, cum hæc meditarer, exegeticæ tra-
stationi hujus Psalmi adjungere Sectionem secundam, Dogma-
ticam, itemque tertiam, quæ Porismata contineret ad praxi-
num vitæ christianæ, tum ecclesiastici ministerii pertinentia.
Verum intercessit consiliis meis Divina Providentia, morbo
gravi immisso, per quem temporis labori huic destinati pars
præcipua mihi crepta est. Quoniam igitur hic subsistere co-
gor, Lectores meos rogo decenter, velint angustiæ tem-
poris, in quam sum coarctatus, tractationem incoa-
tam tantum ac minus plenam benevole
condonare.

T A N T V M!




fd 3984




TA-OL

V317

M.



Farbkarte #13



DE
EX ZIONE,
S MALA GENERIS HUMANI
IN QVE REMEDIO,
ad Psalmum LIII.

QVAS
ONE IN AVGVRALI
O LOCO
SSORES THEOLOGOS
M STATVTA ACADEMICA
BTINENDO

**I. FRIDERICVS
TORIVS,**

FFESSOR PVBL. ORDINARIVS,
TIPENDII THEOLOGICI
ATTENDENS,

I. Aprilis, MDCCCLV.

OLOGORVM NOVA

RVM EXAMINI SVBJICET,

O N D E N T E
ISTOPH. LVDOV. MIEG,
CAND. IN ILL. STIP.

BAVHOFII AC FRANCKII.